A.

De

RATIONE

RELIGION

CLESIÆ P

DISQUISITIO A

Quar

PRÆS

M. ADAMO

SS. Th. Baccal. &

Assessor

ROBERTUS

Bergdorff.

P. P.

VII. DEC. ÆR. CHR.

LIPSIÆ

Typis VIDUAE JOH.

A. J.

De

E STATUS
ONIS ET EC-
Æ PAPÆÆ,

IO ACADEMICA,

Quam

ÆSIDE

MO Rechenberg/

cal. & Facult. Philos.

Assessore,

TUS HEUSER,

gdorff. Saxo.

P. P.

R. CHR. M. DC. LXXII.

LIPSIÆ,

AE JOH. WITTIGAU.

I. N. J.



QUod Machiavellus, (1) famosum in politicis nomen, docuit, ac principes multi, ante ac post ipsum exemplo confirmarunt; id CLERICOS PAPÆOS in Ecclesia sua quoque nosse & exercere, in vulgus notum est. Nimirum fallax ille ab Hetruria doctor, principem instructurus, ut potentiam suam maxime ac commodum possit stabilire, suadet *religionem præ se ferre*, illamque (ceu loquuntur,) *Statui* applicare suo. Quod inventum quidem novum non est: Cum, ut de artibus Tiberianis nihil referam, sacer codex (2) tale arcanum jam in Jeroboamo, Israëlitarum Rege, notarit. Is enim propter STATUS RATIONEM, populum jam divortio a Salomonis posteritate abruptum, a vero etiam DEI cultu abstrahere studuit. Verebatur quippe, si sacra suo relinqueret loco, ne reverteretur regnum ad domum Davidis. Rationes igitur justi & æqui præ se ferebat, quas eleganter annotavit Josephus; (3) sed veram causam tegebat

(1) Machiavell. de Princip. c. 18. p. m 95. (2) 1. Reg. XII, 20. (3) Joseph. antiquit. l. VIII. c. 3. ubi ita Regem populum alloquentem introducit: *Viri populares, notum vobis existimo, quod nullus locus Deo est vacuus, & quod is nullo certo loco includitur: sed ubiq; vota exaudit, ubique cultores suos respicit. Quare non placet mihi hoc tempore vos Hierosolymam, urbem infensam, longò itinere proficisci religionis ergò. Homo illud templum statuit &c.* Hunc nostro & superiori seculo imitati sunt, qui in Gallia & Germania Ligistæ vocantur, qui sub sacro religionis prætextu, orbis imperium, vel universalem Monarchiam moliri videbantur,

gebat callide. Revera autem RATIO STATUS, idolum pseudopoliticis Sacro-sanctum fuit. Hoc in regilione sua venerari, illamque ad STATUS ECCLESIASTICI RATIONEM, seu UTILITATEM suam inflexisse Clericos Romanæ sectæ addictos, ex scriptoribus ecclesiasticis, inprimis vero historicis, probare *hâc dissertatione* jam paramus. Faxit DEUS feliciter!

§. I.

Tit. Dissertat. UT autem argumenti hujus sensus capiatur plenius, Dissertationis titulum prælibemus, necesse est. Constat ille quidem, ut opinor, non adeo quidem obscuris vocabulis, sed æquivocationi tamen obnoxiis.

Relig. Papæa. §. II. Alter terminus tituli est, RELIGIO ET DOCTRINA ECCLESIAE PAPAEAE, qui notat dogmata, quæ circa DEI cultum, secta, Papam Rom. pro suo capite agnoscens publicè proponit ac tuetur. Varia isthæc doctrinæ capita, partim ex Concilii Tridentini decretis, partim scriptoribus aliis, qui doctrinam Papæam aut defendunt, aut describunt, hauriri possunt. Nos saltem præcipua inde tangemus infra, quæ RATIONI STATUS Clericalis inserviunt; nihil interim ex Scriptura (quod Theologorum est) definituri, aut, quæ alieni fori sunt, huc pertracturi.

Ratio Statûs. §. III. RATIO STATUS, nomen in ore populi celebre, sed famâ inter doctos ambiguâ est. Inde quid propriè denotet, ab omnibus non satis intelligitur. Nos lite de genuina hujus definitione ad politicos missa, sumimus illā pro *utilitate quam status aliquis* (h. l. clericalis) *intendit*. Atque hæc acceptio, non invitis Politicis hîc adhibebitur. *Conringius* enim, hodie princeps politicorum, simili fere modo describit, simulque Ludovici Septalii definitionem censet, cum c. 2. de civil. prud. ait: optimè expresseris rationem status latinè per Reipubl. rationem, aut per commodum publicum civitatis, vel reipubl. cumprimis, qualis ea in præsenti est. Quicquid enim usus reipubl. alicujus exigit, id ipsum est, quod ratio status postulat. Et alibi in tract. de rat. stat. dicit, rationem status esse reipubl. utilitatem. Illustrare hanc nostram acceptionem potest etiam definitio a Botero allata, quod sit *noti-*

tia

tia mediorum & rationum, quibus fundatur, firmatur & augetur status, i. e. *reipubl. forma, quæ ibi viget.* Displicuit illa quidem Apollini, dum in Parnassum, (4) instar novellæ allata esset. Qvare aliam a literatis datam, (protestantibus licet principibus) approbavit: *Ratio Status est Lex statibus quidem utilis*, sed *legi divinæ & humanæ contraria.* Quam sanè, si Ecclesiæ Papææ quis aptare velit, non adeo repugnabimus. Nam utilitati status clerici, neglecta Christianæ religionis vera ratione, student. V. Dn. *Jacobi Thomasii Disput. de Ratione Status, anno 1665. hîc Lipsiæ habitam*, it. *Dan. Clasenii Lib. de Relig. Polit. cap. X.* & *Bœcleri Orat. de Ratione Statûs.*

§. IV. Visa nunc vocabulorum significatione, ordo poscit, ut ad rem ipsam progrediamur. Quod ut fiat distinctè, prænotamus, *dogmata Papæorum statistica* posse describi in duas præcipue classes: Quarum *prima* complectetur *curialia*, *altera* verò *culinaria.* Dogmata statistica duplicia

§. V. *Curialia* appellamus illa, quæ faciunt ad stabiliendam curiam Romanam. Talia sunt de *autoritate*, *potentia*, & *infallibilitate* Episcopi, seu, ut vocant Papæ Romani. *Culinaria* dicimus, quæ propter opum ac divitiarum acquisitionem traduntur, acriterque defenduntur a Sacrificulis & Lojolitis. Cujusmodi sunt articuli de *Missa*, de *Indulgentiis*, de *Satisfactionibus*, de *Purgatorio*, de *aucto Sacramentorum numero*, & quæ sunt plura ejusdem generis. Curialia. Culinaria.

§. VI. Primum enarranda veniunt *dogmata curialia*, queis curiæ Romanæ salus ac incolumitas unice nititur. (5) Bellarminus, famigeratissimus Cardinalis, id non obscurè expressit: *Etenim* (quærit) *de qua re agitur, cum de Primatu Pontificis agitur, brevissimè dicam, de* SUMMA REI CHRISTIANÆ. *Id enim quæritur, debeatne Ecclesia diutius consistere, an vere dissolvi & concidere*, &c. Ex hoc magnifico elogio Pontificis Romani licet colligere, quæ docentur apud Papæos, præcipue pertinere ad Rom. Pontificem: ut ejus autoritas summa in orbe Christiano ac divina, ceu fundamentum Ecclesiæ, maneat firma. Curialia quæ?

 §. VII.

(4) ut eleganter fingit Trajan. Boccalini centur. 1. relat. 87. adde relat 42.
(5) Tom. I. controvers. Fid. præfat. in lib. de Summo Pontif. fol. 494.

Curialia quæ præcipuè;

§. VII. Sunt autem cumprimis tria, quæ Papæ R. in mundo autoritatem stabiliunt; *Primatus, Potentia, infallibitas*. Cætera, quæ subjunguntur, indirectè magis ejusdem ἐξουσίαν probant.

P est Primatus 1.ap. Rom.

§. VIII. Ut *autoritatem* hujus hominis tueantur, (6) *Primatum* Episcopi Romani defendunt acriter, solumq; ipsum Christi (7) Vicarium in Ecclesia visibili, ac caput in Divi Petri persona constitutum fuisse tradunt. Atque hoc ex Matth. XVI. v. 18. Joh. XXI, 15. 16. probare annituntur. (8)

ineptè probatus.

§. IX. Sed nescio, ut hoc Pontificiæ de Scriptura S. doctrinæ aliàs receptæ, conveniat. Nam asserunt, illam esse adeò obscuram, (9) ut sine unico interprete visibili ac infallibili (Papa sc. Romano) nequeat intelligi. Hoc, si verum; opus erat, ut ille prius ex evidentibus & utrinque concessis principiis probasset; se esse infallibilem interpretem, & Ecclesiæ Principem; quam metaphoricis & ex obscuris adeò locis, tantam sibi assereret autoritatem. Oportet enim probationem esse certam & claram, ut Philosophi juxta ac JCti docent. Nisi forsan Pontificiis, queis contra Scripturæ S. canonem sapere licet, concessum etiam sit, obscurum ex æquè obscuro probare, & propter rationem status, contra rationis disciplinam statuere.

Titulis ambitiosis firmatur.

§. X. Ut hunc PRIMATUM OECUMENICUM Pontificis Romani defendant, parasiti ambitiosos titulos congesserunt, queis supra Deum fermè efferunt hominem. Bellarminus aliquot (10) congessit. Notus est (11) Theophili Raynaudi de hoc argumento tractatus & (12) Abrahami Bzovii liber, quo quinquaginta fastuosis titulis exornat Papam. Baronius Cardinal. invastissimo Annalium opere, maximè navat operam, ut probet, Episcopum Romanum semper inde a prima Ecclesiæ Christianæ ætate, fuisse Monarcham Sacrum. Unde doctissimus If. Casaubonus asserit, Bellarminum, Becanum, Suarium, & id genus alios disputatores, monarchiam illius non tam operose asseruisse, ac fecit ipse Baronius.

(6) Bellarmin. tot. lib. 1. de Rom. Pont. (7) Bellarm. l. I. de R. Pont. c. IX. fol. 535. (8) Bellarm. l. 1. R. P. c. X. XI. seq. (9) Bellarm. 3. de verbo Dei c. 1. & c. 3. (10) Bellarm. lib. II. de R. P. c. 31. (11) Raynaud. in Tractatu A. C. 1647. Romæ edito, qui corona aurea supra mitram R. Pontificis inscribitur. (12) ad Sigismundum III. Poloniæ Regem, Coloniæ Agrippinæ A. C. 1619. impressus.

nius. Quanquam Bellarminus in eo totus est, ut ostendat, regimen Ecclesiasticum præcipuè monarchicum esse debere. (13) Immò, supra concilia absolutè esse Pontificem concludit. (14) Quam sententiam Itali omnes & magna pars Hispaniæ defendunt. Ægrè admodum tulit Papæ nuncius, cum Lutetiæ Parisiorum Galli dissentirent à dictis parasitis. Cardinalis Perronius callidè, molliendæ invidiæ, quæstionem problematicam esse dixit. (15) Fulcra potentiæ hujus duo non ultima sunt, *Officium s. inquisitionis*, quod Paulus IV. Pontifex ideo Cardinalibus enixè commendavit, (v. Onufr. in vita ejus p. 402. 405. & P. Suavis Hist. Conc. l. V. p. 456. seqq.) & *Societas Jesuitarum*, cujus scopus est, Monarchiam R. Pontificis stabilire.

§. II. POTENTIA hinc probatur maxima. Si enim Christi in terris solus est vicarius, si caput universæ Ecclesiæ visibile, certè plenipotentia (ut loquuntur) instructum esse oportet. Quam stabilire variis ratiunculis præcipuè laborarunt Lojolitæ, secta Protestantibus infensa. Santarellus certè famigeratissimus Lojolita, non erubuit publicè in libro, cui titulus: *Tractatus de hæresi, schismate, apostasia, sollicitatione Summi Pontificis in his delictis puniendis: Ad Serenissimum Principem Mauritium à Sabaudia Cardinalem, Romæ, apud hæredes Bartholomæi Zanneti, 1625. superiorum permissu*, asserere, Papam habere *potestatem* in Principes *directivam & correctivam*; ita, ut possit deponere Imperatorem & Reges pro delictis: & quod summam, supremam & absolutam potestatem habeat Papa, videtur esse (inquit Lojolita) multum æquum & reipubl. expediens; scilicet, ut sit aliquis supremus Monarcha, qui Regum ejusmodi excessus possit corrigere, & de ipsis justitiam administrare. Quia scilicet Papæ & Christi unum sit tribunal. Sed meruit hic liber, ut, postquam à Collegio Sorbonnæ acri censura esset condemnatus, igne Lutetiano, manu carnificis illuminaretur. Legi de eo dignus est Gabr. Barthol. Gramondus, (16) Gallus, Papæ & Lojolitis aliàs faventissimus scriptor. Majori contentione, in comitiis trium Galliæ Ordinum generalibus, de hac Pontificis in Reges potestate, anno 1615. actum fuit.

2. Potentia P. Rom. quam late pateat

(13) lib. 1. de R. P. c. 9. 10. (14) l. 2. de concil. cap. 17. (15) Gramondus l. 1. Hist. Gall. confer Krigsmanni de attrito per Papas imperio p. 32. (16) l. 15. Histor. Gall. p. 675. seqq.

fuit. Historiam prolixe narrat laudatus Gramondus. (17) Accedit, (18) quod soli Pontifici jus & potestatem concilia convocandi adscribant; cum tamen id juris Imperatorum & Regum sit.

Potentiæ hujus assertores.

§. XII. Talem potestatem sibi sumserat Bonifacius VIII. qui intravit ut vulpes, regnavit ut leo, & mortuus est ut canis, quando se dominum totius mundi dixit: Alberto is coronam petenti respondit: Ego Cæsar sum & Pontifex. Ideoque primo die Jubilei, quod tum introduxerat, habitu Pontificiali, benedictionem populo impertivit; altero autem die ornatum Cæsareum gestans, accinctus ense, jussit sibi alium præferri gladium cum hoc elogio: *Ecce duo gladii.* Cranz. l. 8. Sax. c. 30. p. 225. Vides, ô Petre, successorem tuum, & tu salutifer Christe, tuum cerne vicarium. (19) Bellarminus tamen hac in parte modestior paulo fuit; negans, & Papam esse Dominum totius orbis Christiani, & habere illum merè temporalem jurisdictionem directam jure divinô. Impudentior est (20) Hermannus Wesselingius, J. U. D. qui contra Bellarminum statuit, Pontificem jure divino habere plenissimam potestatem in universum orbem terrarum, tum in rebus ecclesiasticis, tam politicis, directè & immediatè. Noverat hic parasitus, ut Bellarmini doctrina de potestate Pontificis à Sixto V. imperiosissimo homine fuit accepta: nempe parum abfuit, quin omnia (21) illius opera Pontificia censura aboleret. Sicuti Parlamenti Lutetiani placitô (22) ejusdem Bellarmini liber, quem in Barclajum de *Potestate Summi Pontificis* scripserat, damnatus fuit. Eadem de causa Veneti Papalem indirectam in temporalia potestatem contempserunt. Dissidii illius originem & seriem exponit (23) Thuanus.

§. XIII. Licet itaque non omnes inter Papæos agnoscant illam Pontificis in regna & reges potestatem; larginntur tamen & cum

(17) lib. 1. Histor. Gall. (18) Bellarm. l. 1. de conc. c. 12. Baron. ann. 869. §. 51. ann. 1137. §. 19. (19) Bellarm. l. V. de R. Pont. c. 3. & 4. (20) in Tract. Juridico-Politico de jur. Superioritatis ac summa potest. Rom. Pontif. c. 9. Coloniæ Agripp. cum permissu Superiorum A. C. 1662. edito. (21) Vid. Guilielm. Barclaj. de Potestate Papæ: an & quatenus in Reges & Principes seculares jus & imperium habet. (22) vid. Gramondi Hist. Gall. l. 1. (23) Histor. l. CXXXVII. f. 1172. seqq.

cum (24) Bellarmino defendunt, Papæ soli jurisdictionem ecclesiasticam immediate summam fuisse a Christo collatam; omnes deinde Episcopos hinc immediate accipere.

§ 14. Discimus inde, præcipuam Evangelico-Catholicis per orbem Christianis controversiam cum Papæis esse, non de legitimo cultu Dei, de consensu cum Ecclesia veteri, aliisque doctrinæ capitibus: sed de AUTORITATE ET MONARCHIA UNIUS HOMINIS, ORBI CHRISTIANO IMPONENTIS.

§. 15. Sed ne quis, opinione conditionis humanæ, quicquam deroget autoritati Pontificis; aliud axioma illi tributum fuit: nempe INFALLIBILITAS in controversiis fidei & morum. Operose illam describit & tuetur (25) Bellarminus. Nescio tamen, cur adeo suspectum reddi hoc privilegium passus sit Papa, procrastinatione Judicii, de immaculata B. Virginis Mariæ conceptione, tanto sumtu ab Hispaniarum Rege rogati. Certe non sine fallibilitatis suspicione hoc factum fuit. Ostendit id non ita pridem accurate (26) Dn. D. Scherzerus, vir nostra laude major. Nimirum hoc indicio est, ab hoc homine, nihil humani esse alienum, id quod vita & mores multorum Pontificum satis etiam comprobant. 3. Infallibilita Pap. R.

§. 16. Sed inde colligunt Pontificii, quod illa Ecclesia solum dicenda sit vera, quæ Pontifici Romano adhæret ac unitur, ceu membra aduniuntur capiti. (27) Si enim ille infallibilis judex & Romana Ecclesia eidem semper fuit unita, nec hæc errare potuit. Igitur errores, licet crassissimi (quos multi etiam Papæos inter Scriptores agnoverunt) sunt palliandi; ne in aliquo delirasse Sancta mater cum sancto Patre suo, (Papa enim nomine Pater; at simul professione, dum in ipsum analysis Ecclesiæ fit, & mater) videri queat. Præsertim, cum docente Bellarmino (28) omnium Conciliorum & omnium dogmatum firmitas dependeat ab autoritate præsentis Ecclesiæ: præsentis autem Ecclesiæ veritas atque autoritas suspenditur ab autoritate & veracitate unius Episcopi Romani, pro qua constabiliendâ omnis impenditur labor. Concilia ideo metuuntur a Papa, v. P. Svav. Hist. Concil. Trident. l. 1. p.

 37. 54.

(24) Bellarm. l. IV. de R. P. c. 22. 23. 24. 25. (25) de Rom. Pontif. l. IV. c. 1. 2. 3. seqq. (26) Disput. de B. Virg. Mariæ Deiparæ conceptione maculata, an immaculata, anno superiori babita. (27) Bellarm. l. IV. c. X. de notis Eccles. (28) l. 2. de Effectu Sacram. c. 25. §. ult.

37. 54. *Communicatio*, quam vocant, *ſub una*, retinenda, non obſtante, Dominum Jeſum Chriſtum inſtituiſſe ſub utraque, & veram Eccleſiam retinuiſſe diu usque ad concilium Conſtantienſe. Quod ſi enim admittatur, in uno fuiſſe falſam Eccleſiam, cæteri de facili etiam animadverti posſint errores. v. P. Svavis Hiſt. Conc. Trid. l. VI. p. 583. ſeqq. & l. VII. p. 725. Ut adeo ex hac hypotheſi convenienter Martinus Becanus tradat, (29) *De Eccleſia hodie potisſimum eſſe controverſiam. Si enim conſtat Eccleſiam Chriſti errare non poſſe in fide, nec alibi eam reperiri, quam apud Pontificios, evidenter (inquit) ſequitur, omnes articulos fidei ac religionis, quos Eccleſia Catholica ſeu Pontificia profitetur, veros eſſe, quos rejicit, falſos & erroneos &c.* Bellarminus hinc magnopere (30) contendit, Eccleſiam viſibilem (Romanam putat) non poſſe deficere. Aliud vero D. Gerhardus in Confesſione Catholica & D. Hunnius de Apoſtaſia Sed. Rom. demonſtrarunt.

Dogm. Culinaria.

§. 17. Nos hactenus *dogmata curialia*, ſed paucis conſideravimus *potisſima*. Nunc *culinaria* delibemus, neceſſe eſt. Utraque tamen Statiſtica ſunt. Nam ſicuti illa hunc finem habent, ut Pontificis autoritas maxima orbi Chriſtiano perſuadeatur: ita hæc reſpiciunt *opes præcipue*, quibus clerus maxime inhiare ſtudet.

Diſtinguuntur.

§. 18. Videbimus igitur illa primum in *theoria*, deinde praxin utilitati accommodatam & dogmata, quibus illa nititur. Quæ ad iſta pertinent, in Scholis uſitatis vocibus, iterum diſtingui poſſunt: Nimirum quædam ad *principia* religionis & doctrinæ; quædam ad *principiata* referuntur.

Principium illorum quod & quæ his connexa. Traditiones.

§. 19. *Principium* religionis Papææ non eſt ſola Scriptura Sacra; ſed adjunguntur * *Traditiones tum ad fidem, tum ad mores pertinentes*, quas pari pietatis affectu ac reverentia ſuſcipi & honorari debere, decrevit Concilium Trident. a Papæis habitum. Hic *Status ratio* ſubeſt. Viderant nempe multa religionem complecti placita, quæ ex ſacris literis probari nequeunt, quæ tamen ſibi valde proficua eſſe norunt. Addendæ igitur fuerunt traditiones, quæ ſupplerent in Sacro Codice non extantia. Inde Petrus a Soto in Confesſione Catholica (31) non erubuit aſſerere: Traditiones Romanæ Eccleſiæ eſſe efficacio-

res

(29) Sub initium l. 1. Manual. controverſ. (30) Lib. III. de Eccleſ. c. 13. (*) Conceil. Trid. Seſſ. IV. decr. de Canon. Script. (31) c. de Eccleſ. p. 138.

& potiores Sacra Scriptura. A quo parum abit Lindanus (32) scribens; *fidem scripturæ futilem & frivolam esse, nisi eam traditio in fundamento stabiliverit.* Posset hic non immerito quæri, cur Traditionum auctoritatem, ex Sacris literis probare nitatur Bellarminus, (33) Si his tamen sine traditione non habenda fides? Nisi forte traditionibus, de se ipsis testimonium dicentibus credendum sit, quia Papa dixit.

§. 20. Ut tamen traditionibus major constaret autoritas, Scriptura Sacra imperfectionis, obscuritatis fuit accusata. (34) Quod si verum esset, sola normæ vicem præstare non posset; quippe destituta iis, quæ ad naturam normæ requiruntur, perfectio sc. & perspicuitas.

§. 21. Sed illa fraus, qua orbi Christiano illuditur, lecta S. Scriptura de facili animadverti a laicis, quos vocant, non omnino stupidis poterat. Igitur novum, suæque religioni accommodum excogitarunt arcanum. Nempe Laicos ad Scripturæ S. lectionem non esse promiscue admittendos. (35) Plane ut olim Mystæ Eleusinii sacra sua volebant esse opertanea; ne qua talium vilesceret religio. Legi de iis meretur *Clapmarius de Arcan. Rerump. c. 1. 2. 3.* Hosius lib. de expresso verbo DEI tradit: Laicis lectionem Scripturæ permittere, esse sanctum canibus dare & margaritas porcis projicere. Sub laicorum vero nomine etiam omnes principes seculares comprehendunt. Scripturæ S. neglectus.

§. 22. *Patrum*, quos appellant, autoritatem alias magni æstimare se videri volunt: Quoniam vero & illos religioni suæ contraria sæpissime docere animadverterunt; hinc *indices expurgatorios* adornarunt, queis ea expungunt atque delent omnia, quæ novis ipsorum placitis derogare poterant. Tridentina Synodus hoc negotium ceu pium ac proficuum in consultationis suæ caput, corpus & caudam elegit. (36) Exempla ejusmodi falsationis exhibet noster Hülsemannus. (37) Patrum castratio.

§. 23. PRINCIPIATA sunt cætera doctrinæ capita, quæ ex rancidis traditionum lacunis derivata, ad quæstum a clericis applicantur. Ego solum præcipua hic tangam. Qualia sunt *de Missa, Indulgentiis, merito operum & Purgatorio. Cætera ex his nata videntur.* Principiata culinaria dogmata præcipua.

§. 24. *Missam*, dicunt esse sacrificium, quod non solum pro fide- Missa.

B 2 lium

(32) L. 1. Panopl. c. 4. (33) Bellarm. L. III. de V. D. c. 1. & l. IV. c. 4. ubi Scr. S. imperfectam esse contendit. (35) Bellarm. l. 2. de Verbo Dei c. 15. §. 1. 2. (36) V. Seß. IV. Decret. de edit. & usu Sacr. libr. Seß. XVIII. decret. de indic. Libr. &c. (37) Disp. XIX. Manual. Aug. Confess. §. 81.

lium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus ex aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite juxta Apostolorum traditionem offeratur. (38) Hujus celebratione multum lucrantur Sacerdotes. Quis enim nollet sacrificulo pro satisfactione sua apud Deum ita occupato, gratitudinem declarare muneribus? Et quo major reverentia tanto mysterio habeatur, ingens ceremoniarum cumulus est inventus nec vulgari lingua celebratur. (39) Videtur quidem conciliabulum Tridentinum voluisse avaritiam & Simoniam, quæ a sacrificulis exercetur, prohibere *Seß. citat. decreto de observandis & evitandis in celebratione missæ.* Ast praxis & Missæ privatæ, pecuniarum aucupium non obscure produnt. Cur enim non gratis, pro peregrinantibus, pro militantibus, pro navigantibus celebrant missas? Ni fallor ipse Lombardus (40) huc respexit, asserens, meliorem esse divitis, quam pauperum conditionem in purgatorio: quia dives possit juvari publicis suffragiis missarum, & celeriorem absolutionem consequi. Hinc non immerito suo tempore hanc Simoniam perstrinxit vir, Sixti *Senensis* judicio (41) eruditissimus & excellens, Georgius Wicelius.

Indulgentiæ. §. 25. *Indulgentias* autem Concilium Tridentin. (42) Leo X. (43) & Bellarminus (44) commendant. Commodi rationem iterum subesse facilè intelligit, qui historiam superioris seculi non omnino novit cum ignarissimis. Diserte eam *Franciscus Guicciardinus* (45) memorat, Leonem Papam nimis licenter indulgentiarum quæstoribus indulsisse privilegia, extorquendæ pecuniæ causa. Quæ res magnam plerisque in locis, indignationem offensionemque concitavit, & præsertim in Germania; ubi a multis ex ejus ministris, hujusmodi vivos & mortuos pœnis liberandi facultas parvo pretio vendi, vel in cauponum tabernis aleæ subjici cernebatur. Confer Sleidan. de Stat. Reip. l. 1. & Jacobi Thuani lib. (46) Inde Principum & Statuum S. Rom. Germanici Imperii querelæ, quas in comitiis Anno 1522. Norimbergæ institutis, de Pontificis insolentia & indulgentiarum mercatura, proposuerunt prolixe, Gravamine 3. 4. 5. seqq. Et quanquam hoc crimen

(38) Concil. Trident. Seß. XXII. c. 2. (39) Concil. Trident. Seß. XXII. c. V. & VIII. (40) l. IV. distinct. 45. qv. 3. (41) lib. 4. Bibl. (42) Seß. XXV. (43) In Decretal. Anno 1518. edit. (44) l. 1. de indulgent. c. 2. seqq. (45) l. 14. Histor. (46) l. 1. Histor. ad Annum 1515.

men, Concilium Tridentinum (47) agnoſcat; non tamen propter utilitatem tollere voluit. Mirari hic poſſet Chriſtianus, cur per indulgentias doceant pleniſſimam concedi omnium peccatorum remiſſionem; cum tamen alias dubitare jubeant homines de remiſſione peccatorum? item cur admittant imputationem meritorum, & ſatisfactionem ſanctorum in indulgentiis, & rideant imputationem meriti Chriſti, quam S. literæ adſtruunt? (48)

§. 26. *Operibus bonis*, qualia maximam partem fingunt, vis meritoria adſcribitur, quod vere vitam æternam promereantur. Ita Concilium Trident. & (49) Bellarminus. (50) Quod dogma non ſolum ad ambitioſam pietatem homines accendit, ſed, dum illa plerumque dicuntur eſſe bona opera, quæ a Sacerdotibus definiuntur ad utilitatem ſuam; ut ſunt proceſſiones, peregrinationes ad loca ſanctorum, coronationes imaginum, dotationes monaſteriorum & ſimilia, quæ res ſacerdotum inſigniter locupletare ſolent. Operam inde navant, ut ditiorum filios in ſua pertrahant clauſtra, qui ſine pingui legatione in monaſterii augmentum facta, ingredi ordinem nefas eſſe putant. Mirus inde penes Monachos & Lojolitas paupertatis ſtatus. Copia neceſſariorum, & inſtrumentorum vitæ commodorum, non indigent; & tamen pauperes ſunt. Xenophonti pauperes ſunt, μὴ ἱκανὰ ἔχοντες, quibus non ſuppetit ſumtus, quem facere neceſſe eſt. *An parum habet* (quærit Seneca Ep. 20.) qui tantum non *alget, non eſurit, non ſitit? plus Jupiter non habet.* Certè Jeſuitæ & Benedictini non diſſimiles videntur eſſe uſurariis quibus ut bene ſit, bona ſua in commune conferunt. De Jeſuitarum opibus Anatomia Societatis agit p. 148. & ſeqq. ita paupertatis profeſſores audiunt, at hæreditatum ſucceſſores ſunt. Hoc inter arcana eſt Societatis, (quæ vide in ſecreta ejus inſtructione §. 6. de conciliandis viduis opulentis ſocietatis) deligantur ad hoc opus, provectæ ætatis Patres colore vivido §. 7. (51)

Opera meritoria.

§. 27. *Purgatorium*, quod poſt *Gregorium* M. (hominem ſimplicem magis, quam doctum) in occidentales Eccleſias irrepſit, alias ſuperſtitiones ſimul peperit. Sed acriter illud defenſum eunt Concilium Trident. *(52)* Bellarm. *(53)* & qui his adhærent omnes ſacrificuli. Vident

Purgatorium.

 dent

(47) Seſſ. XXV. (48) vid. Seſſ. VI. Concil. Trid. (49) Seſſ. VI. can. 32. (50) lib. V. de juſtif. c. 1. §. ultim. (51) Vid. Joh. Hoornbeckii Examen Bullæ Urbani VIII. de Jeſuitiſſis. p. 28. (52) Seſſ. XXV. in princip. (53) l. 1. & 2.

dent enim hunc ignem, fictasque flammas focum suum admodum luculentum effecisse. Et ex historia certum est, culinas Clericorum nunquam futuras fuisse adeo pingues; nisi ignis purgatorius esset accensus. Quot enim prædia, quod auri argentique summæ clericis legatæ a miseris hominibus, huc superstitione imbutis. Nam qui timet hujus ignis flammas; malit vel omnibus suis facultatibus eas redimere, quam experiri tales. Non obscura hanc in rem sunt Stumpfii verba, quæ (54) legi possunt.

Alia culinana dogmatica & statistica.

§. 28. Possem hic subjungere alia doctrinæ capita, quæ similiter aut dignitatem sacerdotum, aut opes respiciunt: ut sunt *numerus (55) septenarius Sacramentorum effictus*, quo frequentius Sacerdotum opera indigerent homines: enumeratio omnium peccatorum in confess. requiritur in Concilio Trident. (56) ut, si dives reus adsit, instituta taxatione, lucrum redundet ad sacerdotem, simulque colatur is, qui arcana pectoris scrutari & nosse habet potestatem, ceu judex a Deo constitutus: it. *apparitiones Sanctorum*, qui non nisi utilia Clero præsagiunt. Miracula Sanctorum & apparitiones demortuorum &c. Exemplum ejusmodi fraudis refert Sleidanus. (57) Accedunt fabulæ *de Sanctis & eorum ædibus*, qualis de æde Lauretana Divæ Mariæ celebris est. Sed hypobolimæam esse, erudite ostendit Matthias Berneggerus, *in tractatu de Idolo Lauretano*. Accedunt reliquiæ sanctorum hinc inde conquisitæ & magno pretio æstimatæ. Et quæ sunt hujus generis sexcenta alia, ordini Clericorum valde lucrosa, quæ compendii gratia omittimus, progressuri ad *praxin*, & dogmata, quæ religionis, seu potius curiæ Romanæ *praxin* respiciunt.

Media & dogmata statistica quæ *praxin magis* respiciunt.

1. Cleric. conjugium prohibitum.

§. 29. Pertinent huc Interdictum Clericis *conjugium*, quod, qua occasione factum sit, docet (58) D. G. Calixtus. Viderant enim, si talia permitterentur Sacerdotibus, non solum (*) curas illorum propter res œcumenicas iri distractum; Sed præterea fore, ut amplissima Ecclesiæ bona devideruntur aut abalienarentur rursus per liberos; vel, ne magistratui politico propter familiam, conjuges & liberi, præsertim post obitum fierent obnoxii. Ideo omnia ad firmitatem Status fuerunt ordinata.

§. 30.

(54) L. V. Chronic. c. 2. (55) Bellarm. l. 2. de Sacrament. (56) Sess. XIV. c. 5. (57) Commentar. l. IX. f. m. 99. (58) Calixtus Tract. de Conjug. Cleric. (*) Confer perelegantem super hoc argumento discursum Dn. Severini de Monzambano de statu Imperii c. VIII. §. 8.

§. 30. JUBILEUM, centum annis elapsis, propter pecuniam, quæ ex indulgentiarum foro redibat ad Pontificem, instituerat [59] Bonifacius VIII. Sed Clemens VI. Papa c. 2. *Unigenitus l. V. Extravag. de pœnitent. & Remission. in quinquagesimum* mutavit. Hujus autem institutum correxit Urbanus VI. transferens jubileum de anno quinquagesimo, ad *trigesimum tertium*; ideo, quod tot anni Christi in his terris versantis & jubileum prædicantis, fuissent, statuitque ut annus 1390. Jubileus esset, & deinceps per 33. servaretur, quorum ne primum quidem ipse vidit, anno 1389. extinctus. Bonifacius vero IX. indicti ab Urbano Jubilei fructum percepit, Onuphrio teste. Paulus II. propter vitæ humanæ brevitatem & Cleri utilitatem traduxit in XXV. annum. Cujus sanctionem Successor Pauli, nempe Sixtus IV. per peculiarem Bullam confirmavit anno 1473. (60) Privilegia & solennitates anni Jubilei ex Bullis citatis, itemque Polyd. Vergil. de invent. Rerum c. VIII. cognosci possunt. 2. Jubileum.

§. 31. Propter commodum privatum etiam ANNATÆ (quas vocant) autore vel Johanne XXII. vel Bonifacio IX. fuerunt inventæ. Erant autem illæ primi anni reditus, quos defuncti Episcopi vel Abbatis successor Romano Pontifici dependere jubebatur. Vocant etiam vacantiarum reditus. Titulus fuit speciosus atque popularis; nimirum in bellum contra Saracenos atque Turcas parari thesaurum. Valuit ea lex ad concilium usque Basileense. Tunc enim, cum ex diversis locis multæ deferrentur querimoniæ, decretum fuit, ne posthac aliquid exigeretur. Verum Eugenius IV. irritum statuit illud Concilium, & qui secuti sunt eum Pontifices, quum nihil sibi detrahi vellent, Episcopis ac reliquæ turbæ non alio pacto sacerdotia confirmarunt, quam si tributum illud persolverent. Sic adeo res in hoc usque tempus continuatur, quanquam non sine crebris & magnis offensionibus. Vide Siei- 3. Annatæ.

(59) De hoc verius usurpes Gabr. Barthol. Gramondi verba paululum immutata, quam ille de gloriosissimæ recordationis Principe Joh. Georg. I. Electore Sax. Jubileum in memoriam reformat. Lutheranæ instituente l. II. Histor. Gall. p. 177. *Sic imitatur Deum Simia putidum ac infame animal: Sic mentitur humanam Psittacus vocem, cujus non capit ipsos articulos, nedum abstrusa sensus: Sic Hyæna devorat, quem imitata voce allexit hominem.* Encomium hujus Pontificis vid. apud Platinam de V. P. p. 231. (60) quæ extat in Extravag. L. V. de Pœnitent. & remiss. cap. IV. scil. Quemadmodum.

Sleidanum. (61) Magna inde Romam vis opum confluxit. Quare & Germani & Galli (62) non semel de hoc onere conquesti, tandem illas minuerunt, quod publica scripta illorum passim loquuntur.

4. Pallium Archiepiscopale.

§. 32. Medium locupletandi Pontificis ærarium, est *Pallium*, quod Archiepiscopis & Episcopis ad confirmationem dignitatis, non nisi ingenti summa data, a Papa conceditur. Sleidanus (63) hunc in modum describit: *Archiepiscopis aut Metropolitanis, uti vocant, insigne quoddam honoris atque dignitatis confert Pontifex, e lino confectum atque lana: id vocant pallium: redimitur autem magna vi pecuniæ, & quidem intra spacium trimestre, sicut ipsorum leges habent, neque licet Archiepiscopis inaugurare aliquem Episcopatui, nisi prius accepto pallio, cujus est præcipuus usus in peragendis sacrificiis atque missis. Non traditur autem, nisi fidem & obedientiam quis promittat per jusjurandum.* Quomodo conficiatur hoc insigne, itempue exornetur, commemorat Pancirollus, (64) & Casalius *(65)* itemque Höpingk *(66)*

Inde publicæ querelæ.

§. 33. Inde Principes Germaniæ jam ante seculum de hujus pallii ad quæstum inventa nundinatione conquesti sunt anno 1522. (*) Sub Maximiliano I. querela fuit publica, daß bey eines Menschen Leben/ aus dem einigen Ertzbisthum Mäyntz / für das pallium oder confirmatur eines Ertzbischoffes / siebenmahl 25000. Gülden / zusammen 175000. Gülden nach Rom kommen und geliefert worden/mit grossem Beschwehr der Unterthanen / welchen deswegen Tribut und Schatzung ufferleget worden. Legi meretur (67) Goldastus, (68) Limn. (69) & celeberrimus Dn. Strauchius. Inter alias causas hoc pecuniæ aucupium ansam suppeditavit Reformationi a Megalandro Luthero susceptæ. Ita enim laudatus Sleidanus (70) sentit: *Indulgentiarum nundinatorem, Tecelium fuisse emissum ab Alberto Archiepiscopo Moguntino, ut pecuniam corraderet ad pallii emptionem. Nam Moguntiæ* [inquit]

(61) L. IV. Comment. de Statu Relig. & Reip. fol. m. 37. (62) *Clemanges* in Libr. de Annatis non solvendis, numerat ex Ecclesiis Gallicanis hinc emungi de sexcenta nonaginta septem millia septingenta, quinquaginta Francorum. Vid. Joh. Hoornbeckii Exam. Bull. Innocentii X. p. 53. (63) l. IV. comment. l. c. (64) l. 1. var. lect. c. XX. (65) de Vet. Sacr. Christ. Rit. c. XXXV. f. 158. *(66)* de jure Insign. Membr. V. sect. III. (*) Gravam. German. Nation. c. 38. (67) In volum. der Reichs-Satzung f. 215. (68) de jure Publ. lib. 3. c. 3. n. 50. (69) Exercit. Exoteric. p. 130. seqq. (70) l. XIII.

quit] *creatus nuper erat Archiepiscopus, Albertus eâ lege, ut suo sumptu Romæ pallium redimeret. Tres enim ejus urbis Episcopi non ita longo decesserant temporis intervallo, Bertoldus Jacobus, Urielus, & grave tum erat collegio, tantos facere sumtus, & toties. Pallium enim illud constare dicitur triginta ferè millibus aureorum, antequam domum perfertur. Tanti scilicet novit Pontifex vendere suum linum: pecuniam autem hanc mercatores Augustani dependerant: ut igitur solveret eis Albertus, rationem hanc quæstus excogitavit, eamque Pontifex ei permisit, sic tamen, ut dimidium perferretur Romam, ad exstructionem Basilicæ Divi Petri.*

§. 34. Ad media conquirendi pecuniam, meritò referuntur RESERVATIONES, (casuum scilicet.) Exemplum occurrit in Epistolis Leonis X. (71) ubi fratribus Bentivolis, Papa remittit quidem offensam; verùm addit, *ita quidem, si mihi prædederitis sestertium duum millium.* Quare inter Germanicæ nationis Gravamina, quæ legatis Adriani VI. in comitiis Norimbergensibus exposuerunt Imperii Principes, quintum adversus casus reservatos fuit: quorum sine pecunia nulla poterat haberi absolutio. Quid de taxâ Sacræ Pœnitentiariæ Cameræ Apostolicæ (ut loquuntur) dicam? ubi infanda peccata & flagitia, singula suis pretiis æstimantur. Refert eorum nonnulla laudatus D. Hornbeckius, (72) confer Claudii Espençæi in Epist. ad Tit. c. 1. memorabilem valde lectu exposit. fol. 476. seqq. Reservatio casuum.

§. 35. Propter *Rationem Statûs, varios ordines otiosorum hominum*, quos Monachos dicunt, (73) Papa confirmavit; ut eò plures forent, qui Ecclesiæ rebus invigilarent & attrahendis laicorum bonis hamos jacerent. Hos per obedientiæ votum, præfectis & sibi arctissimè obstrinxit. Sed posteaquam operâ Lutheri universo Christianorum orbi illorum inertia ac lascivia fuit detecta, nova illa Lojolitarum, qui se Jesu Socios, (in S. literis Judas, Salvatoris proditor, ita audit) appellant, Societas insigni curiæ Romanæ bono instituta fuit. Callidum genus hominum, non ad Reipublicæ commodum natum, illate- Inprimis Lojolitarum. Praxis statistica.

 brat

(71) Apud P. Bembum lib. II. Epist. 28. (72) in Exam. Bull. Innocentii X. p. 52.

(73) Quanquam nunc Ratio Status videtur postulare, ut qu dam ordines religiosi supprimantur. Quod constat ex Bulla Clementis IX. ianno 1668. d. 6. Decembr. Romæ publicuta, quam Autor quidam anonimus egregio discursu illustravit nuper, qui Pufendorfius est.

brat se aulis, ut per confessionem & humana politaque conversatione Principum exploret arcana. Pernoverat illud Sorbonna & Senatus Parisiensis: Quare cum Henricus IV. regno propter nequitiam extorrem Societatem revocaret in literarum augmentum, late per Galliam diffusis seminariis; Urbs Galliæ caput, Lutetia edicto obstabat cum dictis collegiis; donec Henrius IV. privatam illis Lutetiæ domum concederet, qualem antea sub nomine collegii Claromontani possederant. Narrat istam litem Gramondus (74) Sed in eo fidem non invenit, quod pro cœco adfectu suo in Lojolitas, effusè illorum merita laudat loc. cit. p. 198. Aliter Thuanus, illustris historicus & curiæ supremæ Parisiensis Præses, in elegantissima sua, quam in illos scripsit, elegia, de meritis in regnum Galliæ canit. Certè Henrici III. & IV. Regum Galliæ percussores, in Scholis Lojolitarum profecisse, non incertus rumor tulit. Vid. Dn. Höpfnerum (75) Nec mirum, quod, qui nefas docent, scelerate vivant. Utrumque ex Montaltii Epistolis & Jarrigii libello, cui titulus *Jesuita in ferali pegmate*, disci potest. Quorum ille sententiam eorum denudavit, hic conscientiam. Confer præfat. in cit. libellum sane doctissimam. Hodie id operam dant, ut Monarchiam per partes Ecclesiæ & regnis juxta exitiosam instruant: quarum *una*, quod cæteros ordines in summum adducant contemptum; altera, quod se rebus negotiisque politicis magno cum artificio & solertia ubique immisceant. Hoc autem tanta agunt industria, ut Romæ habeant *Patrem* suum *Generalem*, cui adjuncti *Adsistentes*, quos appellant, ex singulis nationibus ad minimum unus; Asistens Galliæ, alter Hispaniæ, sic & Italiæ, Angliæ, Austriæ &c. qui opera correspondentium omnia Rerumpubl. & mundi negotia pernoscunt.

Nova Clasfis dogmatum Statisticorum practicorum. Primum.

§. 36. Subjungere possemus hic DOGMATA PRACTICA, quæ curiæ Romanæ *Statui* itidem fuerunt accommodata, eaque propter defenduntur. Sed cursim illa attingenda *Primum* est, HAERETICIS NON ESSE SERVANDAM FIDEM. Quod in Concilio Constantiensi anno 1414. factum, dictis & exemplis deinde sæpius confirmatum fuit. Inter quæ ob sceleris magnitudinem clarum est Laniena Parisiensis

(74) L. II. Histor. Gall. p. 97. (75) In Sax. Evang. Part. 3. Sect. 3. c. VI. p. 641. seqq. (76) Hornb. Exam. Bull. cit. p. 48. seq.

risiensis, quæ & hoc axiomate fuit excusata: *nullam esse fidem, quæ hæreticis datur*, teste Gramondo. (77) Reliqua hujus hæreseos exempla habet, & more suo erudite discussit (78) Dn. L. Valent. Alberti, hodie nostræ Academiæ Rector Magnificus. Becanus quidem hanc infamiam deprecari nititur. Sed obloquitur praxis & testimonia, quæ laudatus Hoornbeeck congessit. Admissa vero hac hypothesi, quavis oblata occasione, fidem hæreticis, (quos appellant) datam, iterum rumpere licebit, ac adeo nunquam tuta pax erit: sicut exempla in historia passim obvia demonstrant.

§. 37. *Alterum* est, VI AGENDUM ESSE CONTRA HAERETICOS. Hanc experti sunt innumeri fere Martyres in Italia, Hispania, Anglia, Gallia, Belgio, Germania, aliisque provinciis & regnis. Bellarminus (79) hanc tyrannidem, ceu beneficium deprædicat: *nam quo diutius vivunt*, ait, *eo plures errores excogitant, plures pervertunt, & majorem sibi damnationem acquirunt*. Vergæ, Præsidis in supremo Albani ducis judicio, barbarum juxta ac tyrannicum decretum, non sine nominis sui infamia, literis mandatum fuit: *Hæretici fraxerunt templa, Catholici nihil faxerunt contra: Ergo debent omnes patibulare.* Aliter sane fidem Christi propagabant Apostoli. Conf. M. Ant. de Domin. (80) Egimus de hoc argumento paulo fusius *in Dissert. de Religionis propagatione violenta*. Impie Gabriel Naudæus inde Nuptias Parisinas, tanquam egregium Status arcanum laudat, quo Hugonoti universi (si continuata fuisset sævities,) in Gallia potuissent tolli. v. Consider. Politiques Sur les corps d' Estat p. 167. seq. Secundum.

§. 38. *Tertium* est, POSSE PONTIFICEM, REGES AC PRINCIPES, QUOS IMMORIGEROS SIVE HAERETICOS CENSET, DE ECCLESIA PER CENSURAM EXCOMMUNICATIONIS EJICERE, ET POPULOS A JURAMENTO FIDELITATIS ABSOLVERE, DENIQUE ETIAM REGNO EXUERE, ET REGIA POTESTATE PRIVARE, ita docet Bellarminus (81) Svarez. (82) advers- Tertium.

(77) Lib. IV. Hist. Gall. p. 308. adde Histor. de nuptiis Parisinis, quas nuper edidit noster Dn. Christ. Frid. Franckensteinius. (78) in Exercitat. Polit. poster. de Fid. hær. serv. 79. L. III. de Laic. c. 21. (80) l. VI. de Rep. Eccles. c. X. n. 67. (81) Lib. contra Barcl. c. 3. capite quarto addit, nihil referre, an excommunicatio talis justa an injusta fuerit. Vid. Hoornb. p. 260. (82) lib. VI. c. 4.

ſus Sectam Anglicam, non veretur pronunciare, *poſt latam ſententiam* (Regem) *omnino privari regno; ita, ut non poſſit juſto titulo illud poſſidere. Ergo ex tunc* (ait) *poterit tanquam tyrannus tractari & conſequenter a quocunque privato interfici.* Quibus elogiis Eliſabetha Angliæ Regina ornata ſit propter rejectionem religionis Papææ, legere eſt apud Caſaubon. (83) de cauſa Eudæmon hac Lojolitam Hamondum excuſare non dubitavit, quod Catesbejum propoſitum interficiendi Regem & proceres Angliæ, pro confeſſione declarantem abſolverit, tanquam nihil illiciti propoſuiſſet. Vide (84) B. D. Hülſemann.

§. 39. Profecto, miranda eſt Principum Chriſtianorum patientia, qua civium ſuorum cædes prætulere vindictæ, quam propter graviſſimas injurias ſibi illatas, meruerat proximo hoc ſeculo Paulus IV. qui poſt ſancitam in Romano imperio & juratam pacem religioſam, edididit Bullam X. Cal. Mart. A. C. 1558. quam poſtea Pius V. & ſucceſſores aliis Bullis confirmarunt; easque Corpori Juris Canonici inſeruerunt VII. *Decretal.* l. V. Tit. 3. de Hæreticis & Scnismaticis. Sane iſthac Bulla, ſervili poteſtati ſubjicit Principes. Nam non ſolum Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, Patriarchæ, Cardinales, ſed etiam *ſeculares Principes, Comites, Barones, Marchiones, Duces, Reges, Imperator ipſe, ſi aut in hæreſin* (qualem nominetenus excommunicare ſolet Papa in Bulla Cœnæ) *incidiſſe, aut Schiſma incurriſſe deprehendantur, privantur Comitatibus, Baroniis, Marchionatibus, Ducatibus, Regnis & Imperio penitus & in totum; perpetuo ad illa de cætero inhabiles, ita ut nunquam in Comitatus, Baronias, Marchionatus, Ducatus, Regna & Imperium reſtitui, reponi, redintegrari aut rehabilitari poſſint; ſed ſecularis poteſtatis arbitrio animadverſione debiti puniendi tradantur, niſi apparentibus in eis veræ pœnitentiæ fructibus: Quibus perſpectis ex ſedis Apoſtolicæ benignitate & clementia, in aliquo monaſterio, ad peragendam perpetuam in pane doloris & aqua mœſtitiæ pœnitentiam ſuam ſunt retrudendi, evitandi omnique humanitatis ſolatio diſtituendi. Præterea, ut ſint inteſtabiles, nec ad hæreditatis ſucceſſionem accedant. Nullus præterea cogatur eis ſuper aliquo negotio reſpondere. Quod ſi forſan judices extiterint, eorum ſententia*

Bulla Pauli IV. in principes injurioſa.

(83) Epiſt. ad Fr. Duc. pag. 62. (84) Man. Aug. Conf. Diſp. XIV. §. 29.

tentia nullam obtineat firmitatem. Quibuscunque Regnis, Ducatibus, Dominiis feudis & bonis temporalibus hactenus possessis privati existant, eo ipso Regnum Ducatus, Dominia feuda & bona hujusmodi publicentur & publicata sint, efficianturque juris & proprietatis eorum, qui illa primo occupaverint; Si in sinceritate fidei & unitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac sub nostra & Successorum nostrorum Romanorum Pontificum obedientia fuerint &c. Cum hæc Bullæ verba recitasset (85) B. Hulsemannus, Theologus cordatissimus, subjicit: *Hic vigilandum erat, hic urgenda cassatio & abolitio attentati iniquissimi; non litandum Germano sanguine diris.*

§. 40. Quid Innocentius X. Papa, sua Bulla, anno 1651. d. 3. Jan. publicata intenderit, orbi Christiano notum est. Pacem Germaniæ, post infestum ac diuturum bellum, ac tantum non excidium patriæ, magno molimine a Principibus summis partam sancteque confirmatam, abrogare nitebatur. Nescio quid magis intolerandum Imperatori, Regibus & Principibus dici & jactari possit. Quo loco erunt Principum res, si ex nutu Papæ interpretandæ aut suspendendæ, si servo servorum Principes pacis bellique concedant arbitrium, pactum (ut Comicus loquitur) non pactum erit; non pactum pactum erit, cum illi lubet. Justo examine dictam Bullam discussit Joh. Hoornbeck, Professor Ultrajectinus, tractatu peculiari Anno 1653. Ultrajecti edito, quo ostendit totius Bullæ tria quasi elementa esse, *ambitionem, avaritiam & perfidiam.*

§. 41. *Quartum* placitum est, CLERICOS A POTESTATE SECULARI ESSE OMNINO EXEMTOS. (86) Inde illud egregium axioma Politices Papææ est: Clericos in rebellione contra Principes seculares, non posse committere crimen læsæ Majestatis. Emanuel Sà hoc docuit in Aphor. pro Confession. Sed in posteriori edit. omissum fuit. Confer Epist. Casauboni adversus Front. Ducæum. Cætera hujus furfuris placita statistica Ecclesiæ Romanæ, ex P. Svavis Histor. Concil. Trident. & M. Anton. de Dominis libr. de Republ. Eccles. plura colligi possent, quæ hic brevitatis studio prætermitto. Satis interim ex dictis arbitror constare posse RATIONEM STATUS RELIGIONIS ET CLERI PAPAEI, quam, licet DEI veri cultum præ se ferat, respicit.

Quartum.

Conclus.

§. 42.

(85) Brev. c. XXII. §. 15. (86) Conc. Trid. Sess. XXV. Decret. Reform. c. 20. it. I. lib. 6. Decr. Gregorii XIII. Decret. tit. 33. de Majorit. & obed. c. 6. solicit. &c.

§. 42. Cum itaque clerus Ron
pua sic disposuerit dogmata, ut *a*
potentia respiciatur; quid mirum,
ferri Evangelico - Catholicæ, quæ
cultores neque divitiis neque hon
enim & divitiæ deliciis conjunctæ
efficacissima sunt instrumenta: His
tores & defensores, quales Papæo
tos. Una Episcopi dignitas, multos
strahit. Præcipue cum Episcopor
illa, quam Apostoli suis commenc
ante Constantini M. tempora obse
ti in Gallia Tholosani Præses, eo
officio incumbit cura pascendi gregi
Episcoporum cura. *libet aliud, & qui Episcopus est, s*
licum quandoque mensarium. Sic
tione, luxu aulico, avaritia, ut sua
scendarum ovium cura Episcopo,
re dissertationem paro, librum an
scriptum, & anno superiori 1671.
ejus (qui Ludovicus Molinæus e
strissimorum virorum testimoniis
evolvi meretur.

Apostrophe. §. 43. Ita mi Christe, Pontif
tuum ad quæstum usurpatur, eoq
fenditur nefas: Tua gloria minu
dicabis Babylonem? Sed indulgen
tentiam. Nos autem ad gratitudi
fallendi artes Curiæ Romanæ r
gnatus es. Da, caveamus illas, &
tholicam, contra tot hostium m
sit laus & perennis GLORIA!

(87) l. 2. Histor. Gall. p. 144. seqv.



clerus Romanensis, ad *Status Rationem* præci-
ata, ut *aut utilitas cleri* aut *curiæ Romanæ*
d mirum, illam a multis, immo plurimis, præ-
licæ, quæ Christum & Apostolos imitata, suos
eque honoribus adeo cumulare novit. Honor
conjunctæ, ad animos hominum flectendos,
nenta: His ostentatis facile est comparare cul-
les Papæorum cœtus habet & jactat permul-
tas, multos a paupere (vera licet) religione ab-
Episcoporum cura hodie plane diversa sit ab
commendarunt, quamque veteres Episcopi
pora observarunt. Gramondus (87) Parlamen-
Præses, eorum vitam ita depingit: *Ille, cui ex
cendi gregis, vix sui memor, meditatur quod-
opus est, sæpe gulonem agit, venatorem aut au-
ium. Sic illa vita traducitur conviviis, vena-
itia, ut sua quemque voluptas trahit: rara pa-
Episcopo, cui pro ovili aula est.* Dum hac fini-
librum anonymi scriptoris, *Jugulum causæ* in-
riori 1671. Londini editum accipio, quo autor
olinæus esse putatur) idem argumentum illu-
estimoniis & argumentis comprobatque, ideo

te, Pontifex noster summe ac unice, nomen
patur, eoque palliatur dominandi libido, & de-
loria minuitur, ut cleri augeatur. Quando ju-
d indulgentia tua invitat peccatores ad pœni-
l gratitudinis studium incitare debet, quod has
omanæ revelare per verbum tuum non dedi-
us illas, & tuere Ecclesiam nostram vere Ca-
nostium molitiones! Tibi & Nomini tuo soli
LORIA!

144. seqv.

